Q. D. B. V.

Permiſſu Ampliſſimæ Facultatis Philoſophicæ

in Alma Salana

DE

PRÆSAGIIS ANIMI

Von Ahndungen

d. 13. Maji MDCIC.

H. L. Q. C.

publice diſputabunt

PRÆSES

M. JOH. GVILIELMVS BAJERVS

JENENSIS

& Reſpondens

JACOBVS DESCAZALZ, Mont-Albanenſ. Gallus

Phil. & Med. Stud.

JENÆ, Literis EHRICHIANIS.

VIRO
Nobiliſſimo, Excellentiſſimo, Experientiſſimo,
DOMINO
FRIDERICO
HOFFMANNO,
Potentiſſimi Electoris Brandenburgici
Medico Aulico Spectatiſſimo,
Medic. ac Philoſ. Natur.
in Alma FRIDERICIANA
Profeſſori longe celeberrimo,

Patrono ſuo humiliter colendo

has qualescunque primitias Academicas
ſubmiſſo animi cultu
conſecrat

JACOBUS DESCAZALZ.

WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

58700(12)

PROOEMIVM.

Diu eſt, quod arduam illam de Animo præſagiente materiam animo volvimus, originem ejus cauſasque cognoſcere avidi. Obſtitit tamen hactenus, quo minus certum quid ſtatueremus, tum ipſius rei obſcuritas, tum Philoſophorum, quorum conſulere Scripta licuit, rara nimis & ambigua de eadem judicia. Hæ inquam difficultates ſuſpenſos nos tenuere, imò penitus inhibuere propoſitum, usque dum nuper tragicus quidam caſus, qui mortem violentam repente quidem, at non ſine prævio mentis præſagio, civi hujus urbis opifici attulit, meditationes noſtras in ſe denuo reflexit. Ita bono cum Deo difficile iter per abſtruſos illos humanæ mentis anfractus aggreſſi, cogitata vero noſtra qualiacunque publicæ luci dare auſi ſumus, eruditorum vel calculum expertura, vel cenſoriam virgulam. Utrumcunque evenerit, finem obtinuiſſe putabimus, qui non alius eſt, quam ſtudium veritatis.

CAPUT I.

De Exiſtentia & Eſſentia Præſagii Mentis.

§. I.

PEr *animum præſagientem* ſeu *præſagium mentis*, nihil aliud hoc loco intelligimus, quam occultum triſtitiæ vel angoris vel alius commotionis ſenſum, in animo ſine prævia ingrati objecti Idea, aut adverſa corporis affectione excitatum, qui de imminente caſu adhuc ignoto, vel certè nulla ratione perſpecto hominem admonet.

§. II.

Seponimus ergo jam alias prædictionum Species, quæ vel per ſomnia, vel objecta alia naturalia et prodigioſa futuros eventus ſignificant. Multò minùs præſagia ſuperſtitioſa attendimus, quae hoc ipſo, quod vanis nituntur fundamentis, prædictionum nomen ne merentur quidem, et rejectione potius quàm explicatione indigent.

§. III.

Dari autem revera talia mentis præſagia qualia modo deſcripſimus, non tam ſuffragio plebis, quod forte univerſale allegare poſſemus, ſed indubia experientia ſanisque rationibus probare conabimur. Primô locô ſtet caſus in limine Diſſertationis memoratus. Fruebatur civis ille ſanitate firma, animo ad hilaritatem compoſito, nec ulla ratione poterat conjicere, imminere ſibi mortem ab homine vix facie noto, ipſique non prius quam ultimâ vitæ horâ infenſo. Nihilominus aliquot retrò diebus quere-

querebatur inſignem cordis anxietatem, cujus quidem cauſas penes animum non inveniens, ingruenti corporis morbo tribuebat, quamvis nullo alio ſuffragante indicio. Verus demum, at ſerus præſagii interpres fatalis illa veſpera extitit, quâ hoſtili per feneſtram ferro ictus miſer occubuit. Succedat teſtis exceptione major, *Joh. Marcus Marci* (α) qui propriam allegans experientiam, *cum, inquit, Sveci urbem* (Pragam) *obſiderent, die qvodam ſteti ante Collegium PP. Soc. Jeſu cum P. Conrado inſigni eruditione et pietate viro, ex oppoſito feneſtellæ, quæ relicta erat inter trabes, quibus ſpatium inter pontem & hoſpitale medium vallabatur. Poſt aliqvam moram Pater ad me, ſatisne, inquit, ſecuri hîc ſtamus? Ego verò minimè inquam, paululum ſecedens ſiniſtrorſum. Et ecce eodem momento per dictam feneſtellam globus ab hoſte veniens locum ubi ſteti percusſit.* Jungimus *Marco* geminum *Cardani* exemplum, quod ipſe de ſeipſo ſequentibus verbis prodidit: (β) *Anno M D XL. cum eſſem in via orientali, venit in mentem, etſi nulla ratione, ut a ſiniſtro latere transgrederer ad dextrum, cumque ibi eſſem, magna pars cæmenti ex altisſima ſubgrunda adverſo latere cecidit, tanto ſpatio ante me, ut certe niſi mutâſſem illud iter, totum me contriviſſet, & ſic evaſi Deo volente. Paulo poſt propè eundem locum, in mula ſedens ibam junctus currui, & tum à dextra volebam præcedere, negotio invitante, & mora torquente. Dixi mecum, quid ſi ruat currus, & paulo poſt dum ſubſtitiſſem, cecidit, nec dubium eſt quin oppreſſurus me fuiſſet manifeſto detrimento, & periculo etiam non levi.* Ne hæc accidiſſe fortuito, præſagiumv●

(α) *Philoſ. Vet. Reſtit. Part. III. Sect. VI. Subſ. VII. p.* 309.

(β) *Lib. de vitâ propriâ, Cap. XXX. p.m.* 110.

à *Cardano* ſuperſtitioſe fictum putes, ſtatim ἐπίκειον ſuam addens pergit: *Non de hoc miror, quod ita contigerit, ſed quod, cum toties viam mutaverim, nunquam ſponte, niſi in hujusmodi periculis.*

§. IV.

Sufficere fortaſſis ſcopo noſtro allata exempla poſſent; ne tamen aliena ſolum fide niti videamur, domeſtica addere juvabit, eo minus ſuſpecta, quò certius nobis de circumſtantiis potioribus conſtat. Octavus jam agitur annus, cum adhuc ſuperſtes ex familiâ noſtrâ Juvenis tunc decennis, cum Parentibus fratreque natu majore ab oppidô vicinô domum reveheretur. Is totô die lætus & innocua recreatione paſtus, mediâ demum viâ contriſtari ſubitò et inteſtino premi angore ad lacrimas usque cœpit, nullâ mutationis hujus causâ apparente. Parentes ſolari trepidum & ad lætiora erigere ſacra pſalmodiâ quærebant. Aſt inter hæc derepente equi antehac manſvetisſimi, elusâ rectoris opera, transgreſſaque orbita, per prærupta montis excelſi celerrimô lapſu magis quam curſu cum rheda feruntur, adoleſcentem verò illum matremque tunc gravidam incolumes ad montis radices ſiſtunt, ſtupentibus ad miraculum Parente et filio altero qui inhibituri equorum fugam, ſub initium ſtatim exſilierant rheda.

§. V.

Sed & ex nobismet ipſis alteri ſimile quippiam accidit. Inſtabat Brandenburgi Marchicorum degenti breve iter ad agnatos, qvod invitante cœli ſerenâ temperie, pedibus emitiri placebat. Sub ipſum ex urbe egreſſum anxietas ingens agitabat animum nulla prius ideâ adverſa aut ſuſpicione ſaltem mali turbatum. Omiſſo igitur illo ignotô præſagio ſtrenue via pergitur, at ſiniſtro prorſus ſucceſſu.

Vix

Vix enim dimidium milliare ab urbe progreſſum occupant,qvi ad militem conducendum per vicinam tunc emittebantur. Fruſtra erat reluctatio omnis & Academici ordinis allegata immunitas, quin peſſime habitum importuni coactores ad ea loca per avia deducunt, unde vel cognatorum vel legitimi magiſtratus opem ne per literas quidem quærere licebat. Poſt octiduum demum periculoſe tentata fuga finem militiae dedit.

§. VI.

Satis opinor luculenti ſunt hi caſus, nec proin operoſe demonſtrandum, fuiſſe in illis præſagia mentis proprie dicta. Ut tamen omni dubio via præcludatur, operæ pretium erit, ſi eosdem ad deſcriptionem præſagii ſupra datam paucis examinemus,quæque afferri in contrarium posſent,anticipando diluamus. Occultam animi commotionē omnes, quos memoravimus, ſenſiſſe, ipſorummet confesſione conſtat, quamvis non eodem modo ſe exuerit in omnibus. Quod verò hæc non à prævia ingrati objecti idea, aut adverſa corporis affectione dependerit, itidem circumſtantiæ docent. Sane ſi civis hîc nuper occiſus ægritudinem animi ex adverſarum rerum imagine menti impreſſa contraxiſſet, non in morbo corporis ejus quæſiiſſet originem. Impoſſibile enim eſt, animum idearum ſuarum tam efficacium conſcium non eſſe. Quo minus paſſioni cuidam melancholicæ hunc effectum tribuamus, obſtat temperamentum hominis antea ſemper contrarium, quodque in ſtatu ſano, qualis ipſius erat, tam ſubitò mutari vix potuit. Morbi quippe nec in vivo per idoneum documentum, nec in defuncto perſectionem judicialem repertum fuit veſtigium. In exemplo *Marci* utique videtur præceſſiſſe aliqua mentis operatio;

quan-

quandoquidem fatetur, ſe cum patre Jeſuita de ſecuritate loci habuiſſe ſermonem. antequam illum relinquere decreviſſet. Sed tamen, ſi quæras, unde vel patri iſti, vel *Marco*, jam diu ibi verſatis et alienis occupatis diſcurſibus tam citò venerit metus periculi & conſenſus de recedendo, vix invenies, unde deducas, in animis eorum rationem. Quin & *Marcus* ipſe, vir acutisſimus & minime ſuperſtitioſus, extraordinarium quid in hoc caſu agnoſcit, quodque aliunde quam à ſua ratiocinatione dependerit. *Cardanum* verò quod attinet, res in expedito eſt. Ipſe enim de priori caſu ſuo expreſſe aſſerit, veniſſe ſibi in mentem transgredi à ſiniſtro latere ad dextrum *nulla ratione*, hoc eſt, ſine prævia idea aut meditatione, quæ moverit eum, ut viam mutaret. In poſteriori quidem caſu reperimus, *dixiſſe eum ſecum* ſive cogitâsſe, *quid ſi ruat currus?* verum & hujus cogitationis cauſa latet. *Cardanus* enim nullius meminit circumſtantiæ ex qua collegerit lapſum currus; potius ſub finem Capitis citati hôc quoque de caſu profitetur, recesſiſſe ſe *ſponte*, ſive nulla ratione inductum. Pro duobus exemplis ultimis propriam allegâſſe experientiam ſat erit, quam penes æquos Lectores inventuram fidem non dubitamus. Nec eſt, quod quis occultos iſtos animi motus in ullo horum caſuum affectui corporis morboſo aut melancholico velit adſcribere. Quemadmodum enim de duobus poſtremis contrarium nobis indubitato conſtat; ita è prioribus *Marci Cardanique* nemo vel morboſi vel melancholici quicquam colliget.

§. VII.

Ad præſagium mentis porrò requiritur, ut occultum illud πάθος præcedat eventum aliquem ſeu caſum

adhuc

adhuc tum ignotum, aut certè nulla ratione perſpectum. Circa quæ notari velim (1) per caſum nos intelligere eventum quemcunque præter intentionem ac ſcientiam illius, qui præſagire eum dicitur, productum, vel potius producendum, ſive is à neceſſario cauſarum nexu, ſive fortuito earum concurſu dependeat. Ita v. g. non excludimus h. l. è caſuum cenſu ruinam domûs vetuſtate exeſæ; diruptionem tormenti bellici non rite parati, aut ſulphurato pulvere nimis gravati: inſidias latronum viatoribus poſitas; nocturni furis irruptionem, &c. (2) non requiri ad integritatem præſagii, eventum ita eſſe ignotum, ut res qvoad ſubſtantiam ab hominis cognitione ſit remota; ſed ſufficere, ſi lateat, quòd hôc tempore & ſub his circumſtantiis ſit eventura. (3) caſum totum cum omnibus circumſtantiis quandoque præſentiri poſſe, modò cauſæ, quare nunc, et ita accidat, mediaque, quibus res nobis innoteſcit, ſint occulta. Huic normæ ſi exempla noſtra applicemus, patebit illico, recte ſe habere omnia. Nam in *primo* exemplo eventus non erat neceſſarius, quippe ab agentibus liberis productus, qui, ſi voluiſſent, impedire eum potuiſſent facile. Quis enim negaret, caveri potuiſſe ex unâ parte potum liberiorem & hinc ortos jocorum exceſſus: ex altera parte verba contumelioſa violentamque injuriarum depulſionem, primarias tam infauſti effectus cauſas. Erat verò & ignotus hic caſus penitus, maximè eo tempore, quô primum ſentiri inſveta animi paſſio cœpit; ut ex relatione ſup. patet. In altero *Marci* exemplo planè fortuitum videtur ex parte hominum, dirigi tormentum ad feneſtellam ipſi fortaſſis hoſti non conſpicuam. Et quamvis poſſibile videri poterat Marco, globum hoſtilem eo deferri,

notabile tamen eſt, non prius ipſi natam fuiſſe hanc curam, quam eo momento, quo periculum inſtabat. In utroque *Cardani* caſu neceſſarius quidem fuit lapſus tam cæmenti quam currus, quippe hinc ab inæquali pondere lateribus incumbente, vel obvio eminentiori lapide, illinc à ſolutione compaginis forſitan ortus. Sed tamen de priore neque rem neque circumſtantias novit *Cardanus*, cum in mentem ipſi veniret ſecedere. Quoad poſteriorem verò, licet currum crederet ruiturum, neſciit tamen cauſas ſuæ perſvaſionis mediaque eventum ſibi revelantia. Duo ultima exempla cum primo coincidunt. Non erat neceſſaria illa via, unde præcipites cum carpento equi ruebant. Patebat ad ſiniſtram ſecurior. Attamen, cum adhuc in planitie currus iret, priusquam conſtaret, quorſum poſt hæc directurus auriga iter eſſet, jam cœpit puer ille angorem queri, quamvis nec ipſe, nec præſentium quisquam de periculo imminente cogitaret. Similiter, quis conjectando potuiſſet attingere, milites vi rapturos ad ſigna Martis hominem manifeſtô privilegio exemptum & ejusdem cum ipſis Domini ſubditum? Tantum aberat, ut quidquam tale metueretur, cum occultus ille angoris ſenſus peregrinantis premeret animum.

§. IIX.

Reſtat ut adhuc paucis oſtendamus, occultos hos animi motus revera admonuiſſe homines de imminente eventu, ſeu, ut magis propriè loquamur, eundem portendiſſe. Videri enim cuidam poterat, hæc ſaltim per accidens ſic eveniſſe, ut caſum ignotum præcederet ignota animi paſſio, ſine ullo ad invicem reſpectu; quemadmodum fieri poteſt, ut quis antea per naturæ diſpoſitionem hilaris, eodem tempore inſperatum aliquod bonum

nan-

nanciſcatur, quod ab iſto gaudii affectu præſignificatum nemo, niſi ſuperſtitiosè credulus diceret. Sed bene eſt, quod jam in præcedentibus evicimus, in allatis exemplis omnibus memorata animi pathemata aliunde, quam à ſtatu corporis organici aut imaginibus animæ prius impresſis oportere deduci. Ita enim ſimul manifeſtum fit, eadem nec pæterita reſpexiſſe objecta, nec præſentia, quorum jam in mente imagines extant ſed, quod unicum ſupereſt, futura. Nam actiones pasſionesq; tam vividas in ente intelligenti ſine omni reſpectu ad aliquem finem produci, veroſimile prorſus non eſt. Unde, ſi quem reſpectum hi motus habent, ad futura directus ſit, oportet. Accedit, quod in quibusdam, v. g. *Marci* & *Cardani* exemplis commotio animi futurum eventum pene nominatim oſtenderit. Quare nulla apparet ratio, cur in caſibus aliis, quoad cætera ſimilibus, diverſum obtinere credamus.

CAPVT II.

De Cauſa Præſagii Mentis Efficiente &c.

§. I.

MOnſtrata ſic præſagiorum animi exiſtentia, proximum eſt, ut in eorum *cauſam efficientem* inquiramus. Nam quæ ad *materiale*, ac *formale* ſpectant, in antecedentibus paſſim fuêre expoſita. De *finali* verò cauſa diſtinctius agendi circa finem Diſſertationis occaſio dabitur.

§. II.

Efficiens præſagii *cauſa* aut intra animam quærenda

eſt, aut extra eam. Prius amplectuntur haud dubie omnes, qui facultatem vaticinandi homini naturalem ſtatuunt, quorum rationes ſolidiſſimè nuper refellit Celeberrimus Halenſium Philoſophus *Dn. Buddeus* in peculiari diſſertatione hâc de quæſtione editâ. Eminet inter eos *Ammonius*, cujus haud pridem rationes denuò produxit *Petrus Petitus*. Quamvis enim ad hanc vaticiniorum ſpeciem, quæ præſagii mentis nomine venit, minus fortaſſe deſcenderit, non poteſt tamen non, quod de genere aſſerit, inferioribus quoque tribuere. Iliada ſcriberemus poſt Homerum, ſi eorum argumenta poſt laudatum autorem denuò proferremus in ſcenam. Sufficiet igitur, noſtram ſolùm ſententiam idoneis roboratam rationibus hac vice exponere. Quò minùs efficientem præſagiorum cauſam hominis animam ſtatuamus, obſtat (1.) quod mens ipſa hujus facultatis conſcia non eſt, ſive nullam ejus ideam penes ſe invenit. Non enim ſolùm homo ignorat modum, quomodo in animo præſagium oriatur, ſed ſæpenumero ne intelligit quidem, quod præſagio admoneatur, multò minùs rem de quâ monetur. Imò ferè, quotiescunque præſagium in animo ſentit, miratur tanquam rem alienam & vel in corporis affectu, vel agente externo alio ejus principium quærit. Non auſim hanc rationem venditare pro apodictica, quando certum eſt, vix ſatis firmiter concludi à noſtra ignorantia ad rei negationem. Cum tamen quæſtio ſit de exiſtentia rei, nihil abſurdi eſt, conſulere illud ens intelligens, quod rem continere ſeu poſſidere dicitur; maxime ſi argumenta pro affirmativa ſatis ſtringentia non ſunt, ceu in præſenti negotio res ſe habet. Accedit (2.) quod præſagia mentis ſæpe verſantur circa futura contingentia & actiones hominum liberas,

quorum

quorum notitia tantum abeſt, ut cadat in mentem humanam, ut Philoſophorum benè multi, temerario quidem conſilio, eam ipſi Deo denegare auſi fuerint. (γ) Si tamen præſagia quædam reſpiciunt eventus neceſſarios, nihilominus mens humana actu ſecundo ad illos perinde ſe habet, ac ad fortuitos. Caſus enim, circa quos verſatur præſagium mentis, vel plane ignotos, vel nulla ratione perſpectos eſſe oportere, ſupra vidimus. Hinc quam primum animo cauſa aliqua ſuppetit, unde quid colligit eventurum, non jam *præſagire*, ſed *conjicere* eum dicimus.

§. III.

Cum itaque in animo hominis ſita non ſit præſagiorum cauſa efficiens, videndum, quodnam ens aliud has ſibi partes vindicet. Quæcunque exiſtunt ſubſtantiæ, aut Deus ſunt, aut entia à ſupremo illo dependentia. Horum verò iterum duplex claſſis conſtituitur, ſpiritualium et corporeorum. De corporibus denuò quæritur, utrum organicum illud, cui unita mens eſt, pro cauſa præſagiorum habendum, an corpora alia. Prius vi ſupra dictorum ſponte cadit, qvando docuimus, occultos animi motus, qui materiale præſagiorum conſtituunt, non pendere à temperamento corporis, aut adverſa ejus affectione. Aliam verò facultatem, per quam corpus hominis, tanquam per ſe, hoc præſtet, vix nominare ne dum probare quisquam poterit. Si in corporibus aliis ponere velis præſagiorum originem, rurſus quæſtio erit, utrum cœleſtia, an ſublunaria, & quænam ex his in ſpecie, ſint aſſumenda. Pro illis videntur militare mirandi illi & penes Aſtrologos decantati influxus non in corpora ſolum, ſed & animos,

 imò

(γ) *Nomina eorum & argumenta recenſita ac confutata vid. in Diſſ. Magnif. Dn. D.* Bechmanni, *de* ſcientia Dei *Cap. IX.*

imò fortunam caſusque hominum. Quidni enim, quæ in dirigendis rebus tantâ vi pollent, easdem & manifeſtare futuras ac prædicere hominibus poſſint? Sed verò quàm incerta ſunt, quæ de influxu ſiderum in caſus humanos commentatur Aſtrologorum vulgus, tam incerta eſt conjectura de eorum prædictione. Imò finge, gaudere aſtra omnibus iis viribus in dirigendis humanis: quæſo, unde probatis, eadem poſſe effectus ſuos homini ſignificare? Certè in hoc paſſu prædicere ſublimius quid importat, quam dirigere. Facilius enim concipies, Deum conceſſiſſe ſideribus nexum cum cauſis naturalibus ſublunaribus, quo mediante hæc inferiora à ſuperioribus pro vario illorum motu varie combinentur ac diſponantur, ut homini nunc ſic, nunc aliter occurrant, ejusque actionibus hunc vel illum ſucceſſum largiantur. At, ſi prædictionem, qualem præſagia animi poſcunt, aſtris adſcribere velis, neceſſario quoque illis tribuere oportet intelligentiam, & quidem exquiſitam, qua non ſolùm futura multo ante perſpicere nexusque cauſarum inferiorum intime ſcrutari, ſed et præſcire poſſint, quisnam hominum ex tot myriadibus ſuas actiones liberrimas eo directurus ſit, ut in hunc vel illum eventum naturalem impingat. Quæ intelligentia, ſi non plane Divina eſt, ego quidem, quid divinum ſit, neſcio. Vidit hanc difficultatem *Marcus Marci*. Hinc, licet aliàs aſtrorum influxui multum tribuat, de præſagiis tamen eorum aperte pronunciat: *Cœlum nullam notitiam rerum ſeu præſentium, ſive futurarum, proximè nobis ingenerare poſſe.* (δ)

§. IV.

Sublunaribus corporibus eædem rationes obſtant. Quanquam enim hæc temperamentum corporis humani affice-

(δ) *l. c. pag.* 310.

afficere, non negemus, oſtenſum tamen jam ante eſt, quod à talibus affectionibus præſagia non oriantur. Conati quidem nonnulli ſunt, ab exhalationibus ſubterraneis deducere vim vaticinandi oraculorum gentilium (ε); An verò ſatis firmiter, merito dubitatur. Quantumcunque enim turbare aut excitare ſpiritus animales effluvia iſta corporea poſſunt, nunquam tamen animum de caſu futuro monebunt, niſi exacta ejusmodi intelligentia polleant, quam cœleſtibus denegatam corporibus vidimus.

§. V.

Forſitan evitabunt has difficultates, qui ſpiritum quendam univerſalem corporibus ineſſe ſtatuunt. Hic enim non poterit non intime perſpicere nexus cauſarum naturalium tam cœleſtium quam ſublunarium, quippe quibus ſemper præſens eſt & operationes earum dirigit ac moderatur, ſecundum leges à creatore poſitas. Quid obſtat igitur, quo minus hunc Spiritum præſagia in animo noſtro vel per ſe & immediate, vel per occultam communicationem aliorum corporum cum noſtro, producere dicamus? Non urgebimus hîc rationes, quibus alii exiſtentiam hujus Spiritus dubiam reddi vel plane tolli putant. Sed ponamus, exiſtere revera talem mundi Spiritum: eadem certè dubia recurrent, quæ animam noſtram à cauſa præſagiorum efficiente excludunt. Nam ſi vel maximè Spiritus mundi exactiſſime cognitas habeat naturalium effectuum cauſas earumque nexus; imò ſi menti humanæ ſignificare eventus naturales, illi ignotos poſſit: Conſtat tamen, præſagia potiſſimum fieri de eventibus talibus, qui vel ſolum à libero hominis arbitrio, vel ab huius cum naturalibus cauſis concurſu dependent. Et ſi denuò fingere velis, Spiritum mundi ſcien-

(ε) *Præeunte* Diod. Siculo *Lib. XVI. cap.* 26. *& Antiquis aliis quos vide apud* Dn. Buddeum *l. c.* §. 16.

ſcientia ſua penetrare in cogitationes hominis,& ex harum collatione cum cauſis naturalibus colligere caſum homini imminentem, v. g. cum animadvertit, hominem iturum ſub tecto quodam, eodem tempore per naturales cauſas ruituro: Videmus tamen, quandoq; caſum præſagiri, antequam hominum quisquam de illis ſaltem actibus cogitavit, qui occaſionem eventui poſtea præbuerunt; quemadmodum in exemplo primo ſupra adducto civis haud pridem confoſſus caſum præſenſit, antequam adverſarius ejus præterire domum, aut jocis eum laceſſere decreviſſet. Quâ verò ratione ens ſcientiæ finitæ prævidere poſſit tam longe, quid liberrima hominis mens cogitatura ſit ac decretura, id certè non explicatu ſolum, ſed & conceptu nobis eſt impoſſibile.

§. VI.

Eadem reſponſio redit, ſi quæratur, anne Angeli per ſe ſint cauſa efficiens præſagiorum? Quidquid enim vires creaturarum in genere excedit, id nec angeli poterunt præſtare, quippe creaturarum ſpecies. Peculiariter tamen malos angelos ſive diabolos hinc excludere jubet perverſa ipſorum natura, quæ, uti homines potius exitio dare quam eripere tentat, ita præſagiorum, homines de cavendo malo tempeſtive monentium cauſa eſſe non poteſt. Si qvis objicere velit prædictiones oraculorum aliasve mali dæmonis ope peractas, quæ ſæpenumero proficuæ fuerint hominibus: illi ante omnia imponemus probandum, quod bona illa non fuerint imaginaria aut talia, quibus excœcati mortales velut eſca hamo circumpoſitâ in æternam pernitiem, permittente divina juſtitia, dæmon illexit. Bonos quod attinet angelos, illis quidem voluntas ſerviendi hominibus & eosdem à periculis imminentibus præmonendi, non deeſt; eſt tamen & horum ſcientia limitata, & futura contingen-

tia

tia non complectitur. Unde eas pro adæquata præſagiorum cauſa habere non poſſumus. Aliud ens creatum, quod adduci hîc mereatur, forte non ſuppetit, niſi commenta quorundam audire velimus, de ſpiritibus inter bonos malosque Angelos mediis, hominibus ſpeciali miniſterio devinctis, quorum uti exiſtentiam plerique Philoſophorum cordatiorum in dubium vocant, ita, ſi exiſterent, potentiam tamen in efficiendis præſagiis hactenus dicta non admittunt.

§. VII.

Ab inferiorum igitur entium impotentiâ ad ſupremi Numinis infinitas perfectiones velut manu ducimur. Huius æterna ſapientia, quemadmodum intelligit hominum cogitationes è longinquô, naturales verò cauſas omnes dirigit ac moderatur; ita non poteſt non caſus eventusque futuros prænoſcere exactisſimè. Quod eosdem variis modis manifeſtare queat hominibus, nemo negabit, qui cogitaverit, Deum eſſe omnipræſentem & *operari omnia in omnibus*. Imò ipſa illa varietas motuum animi in præſagiis de omnipotente autore ſuô teſtatur. Creaturarum enim quælibet fere agit uniformiter ob certas facultatum ſuarum ſive leges ſive limites, ſecundum quas actiones ſuas formare poteſt, non ſecus. At in præſagiis tantam videmus operationum diverſitatem, quanta vix enti alii, niſi potentiæ infinitæ ac liberrimæ competit. Nunc enim mens nudâ voluntatis flexione, nunc occulti angoris aut triſtitiæ ſenſu admonetur: Nunc res ipſa eventura diſtinctè manifeſtatur, nunc confuſe, ut non niſi poſt eventum clare cognoſcatur: quandoque mens ſola afficitur præſagio, quandoque ad corpus commotio animi tranſit, quæ omnia in paucis illis caſibus allatis deprehendes. Modum vero, quo Deus hæc talia in homine efficiat, nemo à nobis expectabit, ut explicemus. Manent enim hac etiam parte *inſcrutabiles viæ Domini*; Imo forte hic magis, quam alibi, quia cauſæ ſecundæ ſive media, queis Deus utatur, manifeſta nobis non ſunt.

§. IIX.

Non tamen idcirco auſim aſſerere, Deum præſagia omnia in mente hominis producere immediate. Nihil abſurdi videmus, ſi quis ſtatuat, Angelorum miniſterio, ſi non ſemper, quandoque tamen, Deum uti; quemadmodum ſacra teſtatur hiſtoria, quod aliæ prædictiones divinæ plurimæ per eosdem ad homines fuerint delatæ. Neque huic opinioni quidquam derogat, quod præſagia ſæpe ſine imagine quadam intellectui obviâ oriantur in animo. Nam nec perſpectum nobis eſt, qua ratione ſpiritus ſuos conceptus invicem communicare poſſint, & Theologi noſtri (ζ) pravas dæmonis ſuggeſtiones à propriis cogitationibus hominis per id potiſſimum diſcernere docent, quod mentibus piorum invitis ac repugnantibus obverſentur, non, quod per ſenſus aut obiecta externa extraordinariè ingerantur. Interim nihilominus cauſa præſagiorum principalis ſolus Deus eſt, cujus non ſolum mandatum, ſed & ſpecialem ſæpè revelationem angeli expectare neceſſum habent, ſi quando admonituri homines præſagio ſunt: Qvippe futura contingentia ſupra naturalem eorum cognitionem eſſe paulò ante vidimus. Ceterum in quibus caſibus Deus immediatè, in quibus per angelos agat, pariter definire non audemus.

§. IX.

Sed dubium fortaſſe quis poſſet movere circa divinam præſagiorum originem ex eorum obſcuritate. Qvis enim non crederet ad fallendum potius & inanibus curis diſtrahendum hominem, quam ad præmonendum compoſita eſſe, quæ, experientia teſte, vix unquam, niſi poſt eventum ſiniſtrum, intelliguntur; qvalia verò de Deo optimo maximo & fallere neſcio ne cogitare quidem ſine blaſphemia licet. Verum in promtu reſponſio eſt: (1.) Præſagia omnia non niſi poſt eventum ſiniſtrum intelligi, vel ſolâ experientiâ *Marci* & *Cardani* ſupra adducta refutatur, ut jam nihil dicamus de aliis. (2.) Qvod aliqua eorum

(ζ) *Vid. B.* Chr. Chemnitii *differt. de* Tentat. Spiritual.

eorum videntur obſcuriora & caſum imminentem non cum omnibus circumſtantiis præmonſtrare, id bonitati ac veracitati divinæ neutiquam adverſatur, quando ſine hac ſpeciali notitia obtineri præſagiorum finis in attendentibus poteſt, Deus autem in extraordinariis donis ſuis leges ſibi ponere non permittit. (3.) Qvod nonnulli præſagientis animi monita poſt eventum demum ſiniſtrum capiunt, adeoque fine à Deo intentô excidunt, ipſorum hominum culpâ ac negligentiâ accidit. Perſvaſi tamen ſumus firmiter, complures mortalium evadere præſagiorum ope pericula caſusque atrociſſimos, qui non agnoſcunt Dei præmonentis beneficium, ſed pro vanâ cordis humani jactantiâ ſuperbiâque, ſuæ potius prudentiæ ac ſolertiæ acceptam liberationem referunt, præſertim ubi motus animi præſagientis vividi nimis & inſveti non fuerunt; cum contra triſtiorum eventuum cauſam facilius in Deum, tanquam non ſatis clare revelantem, minimum indirectè transferamus.

§. X.

Inſtabis porrò: Si tamen communis præſagiorum animi finis eſt averſio aut evitatio caſus imminentis, media quoque ad eum debere eſſe proportionata, imò ita comparata, ut captui cujusvis ſubjecti, cui obtingunt, reſpondeant: At verò eventus futuros quandoque ita eſſe homini ignotos, præſagia ita obſcura, ut ne perſpicaciſſimus quidem, ſummâ licet adhibitâ curâ & attentione, perveſtigare poſſit, quid in ſpecie & quando cavendum ſibi ſit: unde ex parte hominis impoſſibile videatur finem præſagii obtinere. Eodem res redit cum illis præſagiis, quæ ſimpliciorum in animos cadunt. Hi enim, ſi maximè caſus non adeò ſit abſtruſus, per naturalem tamen intellectûs hebetudinem præſagii monita vel non capiunt, vel in uſum convertere neſciunt. Verùm & huic dubio fiet ſatis, ſi conſideremus, præſagia non eo ſemper fini immitti hominibus, ut ipſi ſuâ prudentiâ futuris proſpiciant, ſuis viribus imminentes caſus avertant. Satis convenienter præſagio uteretur,

qui

qui omiſſa rerum abditarum inutili curioſitate, ſuas imprimis actiones, ſuaque conſilia ad legis divinæ normam revocabit, ſi exorbitare deprehendet, ſtatim corriget, ſi congruere, auxilium Numinis precibus expetet; ceterum impigrè propoſitum perſequetur: id quod præſtari à quovis etiam ſimpliciori facile poteſt. Non concedet utique Deus perire in malis ſuâ gratiâ nixum; quin vel periculum imminens plane avertet, vel ita diriget, ne nocere homini multum poſſit; Cujus luculentum exemplum caſus penultimus ſupra adductus exhibet.

§. XI.

Objicies denique: Non probabile videri, Deum φιλάνθρωπον & immenſæ benignitatis, cauſam eſſe motuum animi triſtium ac moleſtorum, qui ſæpenumero in præſagiis hominum animos miſerè affligunt ac turbant; maximè, cum beneficii, non pœnæ rationem præſagia ex hypotheſi habeant: potius itaque maligno Spiritui, quieti noſtræ nunquam non inſidianti tribuendas ejusmodi operationes. Enimverò ad hoc quoque facilis reſponſio eſt. *Deus*, qui *bonum virum in deliciis non habet*, ſed ſalvâ benignitate ſuâ *experitur eum, indurat, ſibi præparat;* (η) quidni & tunc, cum de futuris moniturus eum eſt, duriusculis mediis excitare ejus attentionem poſſit? Novit certè humanam vecordiam, quæ jucundarum rerum ſenſu ſopitur magis & ſecuritate velut inebriatur, quam ut circumſpectiùs inde agere & cavere malum imminens diſcat. Hinc ſapientiſſimo conſilio per occultum angorem vel triſtitiam veternum iſthunc excutere tentat; cujus, quia nec cauſam nec remedium penes creaturas animus invenit, Deum agnoſcere autorem ad ejusque ſe in agendo componere nutum incipiat, quo pacto & ſupremi monitoris intentionem & ipſius præſagii finem rectiſſimè aſſequetur.

(η) Senec. *de Prov. cap. I.*

S. D. G.